

gnis, qui non exinguitur. Ita s. *Basilius*, *Athanasius*, *Eusebius*, *Chrysostomus* et *Augustinus*, qui legit, *mors pastor erit eis*, quia scilicet Christi veri pastoris oves esse noluerunt.

Psalm. LIX, v. 10. *Moab olla spei meae, in Idumaeam extendam calceamentum meum: mihi alienigenae subditi sunt.* Sensus est: *Moab*, id est, regio moabitica, est *olla spei meae*, id est, quam spero mihi subiectum et pedibus substratum iri, quasi *ollam lavacri* (ut vertit *Aquila*, *Hier.* et *chaldaeus*) id est, ollam, in qua pedes abluere possim, q. d.: Moabita mihi in omnibus, etiam abiectissimis rebus, inservient tanquam vilia mancipia, ut contigit II. Reg. 8, 2. Ita *Theodoretus*. — *In Idumaeam extendam calceamentum meum.* Porro *pergam* prosequi victoriam de idumaeis obtentam, et vestigia ponere in regione ab illis possessa. Quamvis enim, cum hic psalmus scriberetur, iam obtinuisset *David* unam victoriam adversus idumaeos, et occidisset ex ipsis duodecim millia, ut dicitur in titulo huius psalmi: tamen nondum totam Idumaeam sibi subiecerat; quod postea factum est, ut patet ex illis verbis, II. Reg. 8, 14: *Et facta est universa Idumaea serviens David.* Ait igitur: *In Idumaeam extendam calceamentum meum*; vel, ut *chaldaeus* habet: *Super iuncturam colli cervicis fortium idumaeorum proteci calceum meum*, id est, *pergam* ad debellandam et pedibus conculcandam Idumaeam. *Mihi alienigenae subditi sunt*, hoc est, iam enim philisthaeos, qui alienigenae sunt, debellavi. Dicuntur autem philisthaei *alienigenae*, quia nullam affinitatem habebant cum israelitis: idumaei vero, ammonitae et moabitae, quamvis non essent filii *Jacob*, tamen erant affini-

tate aliqua illi coniuncti; nam idumaei descendebant ab *Esau* fratre *Jacob*, ammonitae vero, et moabitae a *Loth* nepote *Abraham*. Sensus ergo, ut dixi, est: *Pergam* occupare Idumaeam; nam iam mihi parent philisthaei. Vide *Bellarminum* et *Menochium* in hunc Scripturae locum.

Psalm. LXIII, v. 8. *Sagittae parvulorum factae sunt plagae eorum, et infirmatae sunt contra eos linguae eorum.* Id est, Deus in irritum abire iussit omnes inimicorum meorum conatus in me. Illorum tela, seu ictus sunt veluti si parvulorum manu sagittae emitterentur, vulnus inferre non valentes. Ipsorum linguae, quae tanquam gladii atque sagittae acutae erant, omni adversus me vi caruerunt. Eos tantum vulnerarunt, qui utebantur illis. Alaudit nimirum propheta ad illud, quod praecedente versu 3. dixerat: *Excucierunt, ut gladium linguas suas, intenderunt arcum, rem amarum*; ac si diceret: Laboraverunt, ut gladium linguae excucierent, atque ut sagittas lethales ex arcu iacerent; sed linguae eorum, gladius plumbeus, et sagittae, tela infantium evaserunt.

Psalm. LXVII, v. 14. *Si dormiatis inter medios cleros, pennae columbae deargentatae, et posteriora eius in pallore auri.* Hic versiculus, quem *Bellarminus* cum aliis interpretibus fatetur obscurissimum esse, iuxta communem interpretum est apostrophe ad ecclesiam, maxime ad praedicatores evangelii, ita ut sensus sit: *Si dormiatis inter medios cleros*, id est, si vos, qui evangelizatis verbum Domini dormiatis, id est, quiescatis in medio duorum testamentorum novi et veteris, acquiescentes videlicet veritati divinitus inspiratae prophetis et apostolis; tunc *pennae columbae*,

id est, ecclesiae fides et mores erunt *deargentatae* puritate sapientiae, et *deauratae* fervore charitatis. Nam per duos cleros (vox enim hebraica שפתיך *Septhaim* dualis est numeri) intelligenda esse duo testamenta, scribunt communi consensu latini et graeci interpretes, s. *Augustinus*, s. *Hieronymus*, *Theodoretus* et *Euthymius*. Neque absurdum est, per duos cleros intelligi duo testamenta, quoniam *clerus* sortem, possessionem, et haereditatem significat: sunt autem Scripturae divinae possessio quaedam et haereditas ecclesiae. Quodsi etiam per *cleros* intelligamus cum s. *Hieronymo* terminos; rectissime duo testamenta duo termini erunt, extra quos egredi non licet, iisdem contrarium docendo, nisi veritatis semitam perdere velimus. Possent etiam per duos cleros intelligi possessio coelestis et terrena. Debent enim praedicatores evangelii non toti esse affixi contemplationi coelestium bonorum; neque toti addicti vitae activae, et operibus charitatis erga proximos, sed in medio utriusque sortis quiescere, et nunc per contemplationem erigi in Deum, nunc per charitatis obsequium descendere ad proximos.

Alias huius perdifficilis versiculi interpretationes alii afferunt, quas referre nimis amplum et molestum esset, cum sint numero plurimae. Eas qui nosse volet, legat apud *Lorinum*, aliosque interpretes.

Psalm. LXVII, v. 31. *Increpa feras arundinis, congregatio laurorum in vaccis populorum: ut ex-*

(1) Proverb. c. 31, v. 25.

(2) Saepe in Scriptura nomen *portae* locum denotat, ubi coetus iudicum assidebat (Deut. c. 17, v. 5 et 8. Item c. 21, v. 10, et c. 22, v. 15, et c. 25, v. 7, etc.). Cum enim iudaei vulgo in arvis exercerentur, locum tribunalium praeportis urbium constituendum censuere, ut

cludant eos, qui probati sunt argento. Hae ferae, quae in arundinetis pascuntur, et hi tauri, qui sunt in medio armentorum, designant hostes Israel. David eos confert tauris furentibus, id est, qui ferociunt quasi tauri congregati in *vaccis populorum*, id est, cum populis, qui instar vaccarum (hebraice vitularum) lasciviunt, salaces et dissoluti sunt. Metaphora sumpta a tauris, qui tum ferociores sunt, cum generationi inter armenta dant operam. *Ut excludant*, id est, vita et haereditate sua depellant eos, qui tibi o Deus! *probati sunt argento*, id est, instar argenti. Allegorice per *feras arundinis* iuxta s. *Hilarium* intelliguntur daemones, qui libenter versantur inter homines leves et vanos, et in locis humentibus ubi regnat luxuria. Sic de diabolo sub figura *Behemoth* dicitur Iob. 40, v. 16: *Sub umbra dormit in secreto calami, et in locis humentibus.*

Psalm. LXVIII, v. 15. *Adversum me loquebantur, qui sedebant in porta, et in me psallebant, qui bibebant vinum.* Sensus est: *Qui sedebant in porta*, id est principes et iudices in conciliis de interitu meo consultabant, et falsa testimonia quaerebant etc. Iudicia enim in portis civitatum, vel prope portas civitatum in publico loco apud hebraeos exercebantur; unde est illud (1): *Nobilis in portis vir eius, cum sederit cum senatoribus terrae* (2). Porro pergit psalmista: *Et in me psallebant qui bibebant vinum*, hoc est, non solum publice

lites citius possent expediri. *Ne cogentur agricolae intrare urbem, et aliquod subire dispendium*, ait s. *Hieronymus* in *Zach.* c. 8, iudices in portis residebant, ut tam urbanos, quam rusticos, in exitu et introitu urbis audirent, et finito negotio, unusquisque festim ad sedes proprias revertetur.

in conciliis, sed etiam privatim in domibus tempore conviviorum, vel etiam nebulones omnes et perpotores, qui in popinis versantur, inter pocula de me garriebant, et cantabant ludentes et irridentes.

Ceterum quoad psalmi huius argumentum in literali, historicoque sensu desumptum, non satis inter interpretes convenit (1): sed patres atque expositores alii pro illius spiritali ac prophético sensu consentiunt, et uno ore fatentur, hunc psalmum ad Messiam spectare, atque apertissimas de Iesu Christi adventu, passione, resurrectione, ecclesiaeque institutione prophetias continere.

Psalm. LXXIII, v. 14. *Tu confirmasti in virtute tua mare, contribulasti capita draconum in aquis.* Explicat psalmista, quomodo Deus operatus sit salutem iudaeorum, et ait: *Tu Deus confirmasti mare in virtute tua*, id est, potentia tua fecisti, ut mare rubrum firmissime quasi murus consisteret, dum transirent per medium eius divina virtute siccatum filii Israël. Et eadem potentia obruisti in aquis eiusdem maris, ad locum suum refluentibus, capita aegyptiorum, qui instar draconum ferocientium filios Israël insequerentur.

Psalm. LXXIV, v. 5, et 6. *Dixi iniquis: nolite inique agere: et delinquentibus: nolite exaltare cornu, nolite extollere in altum cornu vestrum; nolite loqui adversus Deum iniquitatem.* Bis monet Deus iniquos, ne exallent cornu, hoc est, ne peccaminose gloriantur, ne superbia intumescant. Nam vox *cornu* in s. Scriptura non raro significat gloriam, potentiam, dignitatem, su-

(1) Vide Calmeti praefationem in hunc psalmum.

(2) Cap. 14, v. 2. Et c. 15, usque ad c. 20.

blimitatem, quae significatio inde videtur derivari, quia cornutorum animalium robur et fortitudo sita est in cornibus. Sic etiam in eodem septuagesimo quarto psalmo vers. ult. dicitur: *Et omnia cornua peccatorum confringam: et exaltabuntur cornua iusti*, i. e. peccatorum fastum confundam: et potentia, dignitas, gloria iusti exaltabitur. Et iterum in psalmo 91, v. 11 legimus: *Et exaltabitur sicut unicornis cornu meum*, i. e. potentia mea, et robur meum exaltabitur sicut cornu monocerotis. Monoceros enim, seu unicornis animal est gerens in fronte cornu unicum, sed excelsum et robustum valde. Similiter vox *cornu* interdum etiam regnum significat; sicut Luc. 1, v. 69: *Et erexit cornu salutis nobis, in domo David pueri sui*, i. e. erexit regnum et florentissimum fecit in familia David servi sui.

Psalm. LXXVII, v. 54. *Et eiecit a facie eorum gentes: et sorte divisit eis terram in funiculo distributionis.* Eiecit Dominus chanaanos a facie hebraeorum. Quoad distributionem vero terrae promissionis per sortes israelitis divisae, patet ex 1. Iosue (2). Porro textus sacer ad literam ait, ipsis terram promissionis divisam fuisse in *funiculo distributionis*; aegyptii enim (3), et hebraei (4) funiculis utebantur ad longitudines locorum, agrosque metiendos.

Psalm. LXXVII, v. 65. *Et excitatus est tanquam dormiens Dominus, tanquam potens crapulatus a vino*, id est, Deus postquam diutius dissimulavit, ac dormire visus est, dum tantam philisthaei exercebant de populo eius stragem, et indignis-

(5) Vide Herodot. lib. 2, c. 6.

(4) Psal. 15, v. 6. Iosue c. 17, v. 5, 14, et passim.

sime arcam sanctam tractabant, Deumque ipsum impiissime blasphemabant, tandem, veluti completo somno, excitatus est ad auxilium et ultionem populi sui, iniuriarumque sibi illatarum: et militi animoso ac forti similis, cui ex largiter epoto vino alacritas, roburque accedit novum, maioreque in hostem ruit impetu, exarsit plenus quodammodo indignationis merito in philisthaeorum exitium. Ita s. August., et Theodoretus. Loquitur nimirum Scriptura hic (sicut saepius alibi) de Deo more humano.

Psalm. LXXVII, v. 67. *Et aedificavit sicut unicornium sanctificium suum in terra quam fundavit in saecula*, id est, aedificavit templum suum, sicut facere solent unicornes, qui prae caeteris animalibus magnificas sibi mansiones alto et praerupto loco, easque stabiles struunt. Sic Deus templum sibi struxit in arce Sion excelsum, magnificum, non mobile, ut in Silo, sed stabile, quodque erectum est in terra, quam fundavit in saecula, scilicet in terra sancta montis Sion, qui erat figura ecclesiae Christi perpetuo duraturae, adversus quam portae inferi non praevalerunt.

Psalm. LXXVII, v. 70. *Et elegit David servum suum, et sustulit eum de gregibus ovium, de post foetantes accepit eum. Pascere Iacob servum suum, et Israël haereditatem suam*, id est, Deus elegit David servum suum, scilicet in regem populi electi; et tulit eum de humili loco, de gregibus ovium, seu de officio et munere pastoritio, quod reipsa exercebat, cum oves foetas et praegnantes sequeretur. *Pascere Iacob servum suum et Israël haere-*

ditatem suam, id est, transtulit eum de ministerio pascendi oves ad ministerium pascendi homines. Hic notandum, quod haec verba, *de post foetantes accepit eum*, sint hebraismus seu modus loquendi apud hebraeos usitatus. Nam ab hebraeis non raro praepositio una ante alteram ponitur, ut praeter exemplum modo allatum etiam patet ex illo (1): *Ut deleret Israël de sub coelo*, i. e. ex omni regione sub coelo sita. Item (2): *Avertuntur de post tergum Domini*, i. e. contemnunt Dei legem, et ab eo avertuntur. Item (3), *De trans Iordanem*, i. e. de regionibus ultra Iordanem situs respectu Galilaeae, quae erat cis Iordanem, in qua praedicabat Christus. Item (4): *Fulgur coruscans de sub coelo*, i. e. nubibus, quae sub coelo sunt.

Psalm. LXXXI, v. 1. *Deus stetit in synagoga Deorum, in medio autem Deos diiudicat*, id est, Deus collocavit se in synagoga Deorum, in congregatione et consessu iudicum vicem Dei gerentium, ut scilicet eorum actiones contempleretur, et de eorum iudiciis et sententiis censuram ferat. Argumentum enim huius psalmi est exhortatio ad iudices, ut recte iudicent: quae exhortatio ut efficacior sit, inducitur Deus summus iudex inferiores iudices increpans.

Psalm. XCVI, v. 5. *Montes sicut cera fluxerunt a facie Domini; a facie Domini omnis terra*, id est, terra ac montes terrore quodammodo correpti fuerunt coram Omnipotente; liquefacti sunt, soluti, ad nihilum redacti coram Domino. Hi loquendi modi s. Scripturae sunt familiares (5), et mirum in modum significant eam reverentiam,

(4) Luc. c. 17, v. 24.

(5) Vide Iudic. c. 5, v. 5; Iudith c. 16, v. 18; Mich. c. 1, v. 4.

(1) 1. Reg. c. 14, v. 27.

(2) Soph. c. 1, v. 6.

(3) Matth. c. 4, v. 25.

quae Omnipotentis aspectui debetur. Iuxta *Menochium* hic locus psalmore potest de Christo intelligi, et de igne conflagrationis qui praemittetur ante iudicium extremum, et omnia absumet, iuxta illud (1): « Adveniet autem dies Domini ut fur: in quo coeli magno impetu transient, elementa vero calore solventur, terra autem, et quae in ipsa sunt opera, exurentur. » Quibus verbis concordat psalmista, in hoc psalmo v. 3 dicens: *Ignis ante ipsum praecedet et inflammabit in circuitu inimicos eius.*

Psalm. XCVII, v. 8. *Flumina plaudent manu, simul montes exultabunt a conspectu Domini: quoniam venit iudicare terram.* Psalmista, sicut in versu immediate praecedente mare et terram invitavit; ita invitatur nunc flumina et montes, ut similiter signa laetitiae ob adventum Christi edant. Porro hae et similes locutiones, *flumina plaudent manu, montes exultabunt* etc., sunt locutiones magnificae et figuratae, quae quidem in Scriptura (2) et apud orientales usitatae sunt: in nostra tamen lingua non nisi aegerrime adhiberi possunt. Illud autem, *quoniam venit iudicare terram*, potest referri tam ad primum quam ad secundum Christi adventum. Si ad primum adventum referatur, sensus erit: exultent, et laetentur terra et mare, montes et flumina, *quoniam Dominus venit iudicare*, id est, regere et moderari optimis et iustissimis legibus orbem terrarum,

(1) II. Petri c. 5, v. 10.

(2) Vide etiam psalm. 95, v. 11 et 12. Item psalm. 115, v. 4, etc.

(3) Ad Philip. c. 2, v. 7.

(4) De Pellicano scribit s. Hieronymus in epist. ad Praesidium, Augustinus, Isidorus, Albertus M. et alii apud Gesnerum de avibus, eum esse avem aegyptiacam in Nili solitudinibus commorantem, quae pullos a serpente occisos, lateribus rostro per-

non solum, ut olim maiestate invisibilis divinitatis, sed etiam corporali et visibili forma, *in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo* (3). Si referatur ad secundum, sensus erit: Exultet terra et mare, montes et flumina, *quoniam Dominus venit iudicare terram*, et exterminabit omnes peccatores, et ostendet suam potentiam, et specialem amorem erga electos.

Psalm. CI, v. 7. *Similis factus sum pellicano solitudinis: factus sum sicut nycticorax in domicilio*, id est, sicut *pellicanus* (4) solitarius et lucifugus, et *nycticorax*, seu *noctua*, ut chaldaeus vertit, vel, ut Hieronymus, *bubo*, qui in angulo domus per diem quasi lucifugus latet, noctu vigilat, et non tam canit, quam gemit et luget: ita et ego prae moerore fugio lucem et homines, noctes insomnes ago, gemo etc. Vide *Tirinum* aut alios interpretes.

Psalm. CIII, v. 4. *Qui ponis nubem ascensum tuum: qui ambulat super pennas ventorum.* Psalmista praedicat admirabilem Dei sapientiam et potentiam in velocitate nubium, quae vi ventorum stupenda celeritate transeunt ab una parte mundi ad aliam. Aliquando enim serenum aërem conspiciamus, et mox, ut ita loquar, in ictu oculi, flante austro, cernimus eundem aërem obductum nubibus; et contra videmus interdum aërem nubibus undique coopertum, et mox flante aquilone vel euro, cernimus nubes omnes velut in puncto

foratis, suo sanguine suscitatur. Sed ipse Gesnerus negat, talem avem dari: *Nisi*, inquit, accipias vulturem aegyptiam, de qua Orus scribit, quod pullos in fame satiet sanguine suo, quem ex femore prolucit. Fatetur tamen Gesnerus, pellicanum, quem alio nomine *plateam* nominat, avem esse solitariam et lucifugam. Et hoc servit proposito psalmistae, uti ex nostra expositione huius versus data patet.

temporis dissipari. Describit autem psalmista haec omnia more poetico, ac si Deus insideat nubibus velut in curru, et utatur ventis, quasi equis pennigeris. Sed hac metaphora nihil significat aliud, nisi Deum esse principalem auctorem omnium rerum, et eius nutu ventos moveri, et nubes adduci vel abduci. Vide *Bellarminum* in hunc locum.

Psalm. CIII, v. 32. *Qui tangit montes et fumigant.* Et Psal. CXLIII, v. 3: *Domine, inclina coelos tuos, et descende: tange montes, et fumigabunt.* Alludit psalmista ad caput 19 Exodi v. 16 et 18, ubi describitur mons Sinai terribilis et fumigans, descendente Domino. Ita *Bellarminus*; vel ut alii explicant, sensus est: *Tange montes*, fulmina immitendo, ex quo ignem concipient, et fumigabunt.

Psalm. CXIX, v. 4: *Sagittae potentis acutae cum carbonibus desolatoriis.* Psalmista v. 3 immediate praecedenti interrogavit: *Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam?* q. d.: Quem fructum, quod emolumentum capies ex lingua dolosa? Vel: Quid mali dari, aut addi possit supra linguam dolosam? Iam respondet v. 4 et dicit: *Sagittae potentis* etc., id est, durissimae plagae, gravissimae poenae et incendia vehementissime urentia tibi dabuntur, et apponentur. Has porro poenas per metaphoram sagittas vocat a potenti Dei brachio emissas. Vel sensus est, linguam dolosam similem esse sagittis graviter ferientibus. *Cum carbonibus desolatoriis.* In hebraeo est, *cum carbonibus iuniperorum*, ut vertit s. Hieronymus. Hoc enim significat vox hebraea *rethamim*. Sed LXX interpretes explicaverunt metaphoram; carbones enim iuniperorum sunt admodum solidi, ideoque apti ad incendendum, vastan-

dum et desolandum. Sensus ergo citati v. 4 est, vel linguam dolosam manere graves, et incendia ex carbonibus acerrime urentibus, et omnia populantibus, et absumentibus orta; vel talem esse linguam dolosam, ut cum huiusmodi carbonibus, qui acriter urunt, conferri possit. Vide *Menochium* in hunc locum.

Psalm. CXXV, v. 4. *Converte Domine, captivitatem nostram sicut torrens in Austro*, id est reduc captivos nostros tanta velocitate in patriae sinum, quemadmodum aquae torrentium, austro flante, et nives solvente, per alveum citissime decurrunt, et ad mare properant.

Psalm. CXLVII, v. 6. *Mittit crystallum suam sicut buccellas: ante faciem frigoris eius quis sustinebit?* Quamvis diversae sint huius loci interpretum expositiones, communior tamen sententia est hic nomine *crystalli* grandinem intelligi, quae similis est buccellis, hoc est, bolis. Descendit enim in globos compacta magnitudine fere boli unius, graecis *κρυστάλλος* et glaciem significat, et lapidem crystallum. In hebraeo est

קרר kerach, quae vox proprie glaciem significat. Sed convenit etiam hoc vocabulum grandini, quia omnis grandis quaedam glacies est. *Ante faciem frigoris eius quis sustinebit?* q. d.: Quis ferre possit vim frigoris eius? adeo enim frigida est grandis, ut qui multa illius grana manibus collegerit, frigus eius ferre vix possit. Alia espositio haec verba, *ante faciem frigoris eius* etc. ad Deum refert, quasi psalmista dicat: Nullus homo sustinere posset, si Deus frigus vellet intendere, ut posset.

Atque haec respective pauca exempla sufficiant ad ostendendum,

qualis sit sensus seu litteralis, seu spiritualis psalmorum. Institutum et scopus operis mei non permittit, ulterius in explicationem singulorum psalmorum excurrere; prae-

sertim quia plurima in psalterium commentaria iam sunt edita, et adhuc hodie insignia in lucem eduntur, prout iam supra (1) observavimus.

SECTIO II.

DE LIBRO PROVERBIORUM

Iuxta unanimem tam hebraeorum quam catholicorum sententiam, *Salomon* edidit tres libros sapientiales, scilicet Proverbia, Ecclesiasten, et Canticum canticorum. Dubitarunt autem multi hebraeorum antiquorum, an *Salomon* a Spiritu s. fuerit illustratus in compositione horum librorum. At oppositum declaravit *Esdra*s, totaque synagoga, ac ipsa ecclesia Christi, quae praedictos libros in canone s. Scripturae collocarunt. Porro *Salomon* iuxta opinionem s. *Hieronymi* (2) librum Proverborum composuit pro iuvenibus, librum Ecclesiastis pro viris, et Canticum canticorum pro senibus: vel ut *Salmeron* (3) cum aliis existimat, librum Proverborum fecit pro incipientibus, Ecclesiasten pro proficientibus, Canticum canticorum pro perfectis. Nam in primo praecepta tradit ad mores formandos, virtutemque amplectendam: in 2. vanitate omnium rerum terrenarum ostensa, in futurorum et aeternorum bonorum spem erigit, ac ita ad progressum in virtute stimulat: in postremo perfectam charitatem in amoribus sponsi et sponsae delineatam exhibet. Si autem quaeras: An *Salomon* hos tres libros composuerit ante vel post lapsum suum in peccatum et

(1) Quaest. 10 in scholio.

(2) In praef. librorum sapientialium.

(3) Proleg. 10, canon. 52.

(4) Vide *Pinedam* in *Salomone* praevio l. 8, c. 1, sect. 5, et 7.

idololatriam? R. Proverbia et Canticum canticorum verisimiliter composuit ante lapsum: Ecclesiasten vero poenitens post lapsum (4). Incipiendo iam a primo, seu libro Proverborum, est ille, ut modo diximus, absolutissima summa trium moralis doctrinae partium, videlicet ethicae, oeconomiae, et politicae. Ab hebraeis מִסְלֵי *Misle* vocatur, quae vox sententias graves et apprime utiles significat.

28. QUÆRES I. *An liber Proverborum ecloga sit, sive delectus optimarum sententiarum ex plurimis, qui ante Salomonem floruerunt, scriptoribus, ut Grotius* (Comm. in c. 1 Prov.) *cum quibusdam batavis asserit?* R. negative. Nam hoc *Grotii* assertum repugnat tum s. Scripturae, quae pluribus locis (5) *Salomonem* auctorem Paraboliarum seu Proverborum pronuntiat; tum constanti et antiquissimae hebraeorum et christianorum fere omnium traditioni et persuasioni, *Salomonem* esse auctorem libri Proverborum; tum etiam chronologiae. Non enim dici potest, quinam excellentes illi scriptores ante *Salomonis* aevum fuerint ex quibus sententiae l. Prov. collectae fuerint. De hebraicis enim non constat: gentilium vero sapientum vix nomen, primam ante olympiadem quadragesimo fere annis *Salomone* posteriorem fuit auditum. Accedit,

(5) Proverb. c. 1, v. 1; et cap. 25, v. 1. Item Ecclesiastis, cap. 12, v. 9: et l. Reg. c. 4, v. 52.

quod veteres legislatores et philosophi, iuxta probabilem multorum patrum opinionem, sapientiam potius ex s. Scriptura hauserint, quam scriptores sacrorum librorum ex veteribus philosophis; prout in solutione III quaestionis ostendimus.

29. QUÆRES II. *An liber Proverborum, si a Salomone in scelera luxuriae et idololatriae lapsus scriptus esset, propterea e canone sacrorum librorum foret eliminandus?* R. negative. Nam licet homo sit malus et vitiosus, tamen Deus per illum suas veritates manifestare potest; sicut propheta vit per *Balaam* (1), et per *Caipham* (2). Pulcre hanc in rem s. *Augustinus* (3) loquens de Canticum canticorum ait: « *Salomon* erat tempore suo filius David, magnus ille, per quem multa sancta praecepta, et salubria monita, et divina sacramenta Spiritus s. in divinis literis operatus est. Nam ipse *Salomon* mulierum amator fuit, et reprobus est a Deo. . . . Sed si illo cadente, quae per illum dicta sunt, deleberentur, iudicaretur, quia ipse dixerat, non quia per illum dicta erant. Optime igitur etiam hoc egit misericordia Dei, et spiritus eius, ut quidquid boni per *Salomonem* dictum est, Deo tribueretur, peccatum autem hominis homini. » Caeterum librum Proverborum *Salomon* verisimiliter ante, et non post lapsum suum composuit; prout supra cum *Calmeto* (4) in praefatione ad l. Proverb. observavimus.

(1) Num. c. 25 et c. 24.

(2) Ioan. c. 11, v. 50 et 51.

(3) Euarrat. in psalm. 126.

(4) Praef. in librum Proverb.

(5) Admonitione ad gentes.

(6) Adversus Iulianum l. 1.

(7) In opere adversus graecos, seu gentiles.

(8) Toto libro 11 praeparat. evang.

30. QUÆRES III. *An veteres legislatores et philosophi leges suas et moralem scientiam ex libro Proverborum, aliisque s. Scripturae partibus hauserint?* R. rem hanc inter ipsos catholicos esse controversam. *Calmet* citans pro se *Origenem*, *Tertullianum*, s. *Augustinum* ac *Lactantium*, propendit in sententiam negativam: affirmativa tamen (fatente ipso *Calmeto*) maiori nititur auctoritate. Eam enim tenent *Clemens Alex.* (5), s. *Cyrillus Alex.* (6), *Theodoretus* (7), *Eusebius* (8), s. *Iustinus M.* (9). Porro *Origenes*, *Tertullianus* et s. *Augustinus* pariter affirmativam tenent, aut saltem dubium et controversum est, utri sententiae affirmativae vel negativae magis accedant. Denique affirmativae etiam favent *Hermippus* (10), et *Iosephus Iud.* (11). Plura de hac quaestione *Calmetus* (12) in speciali quadam dissertatione. Item *Huetius* (13) et *Weissenbachius* (14) in medium proferunt.

31. QUÆRES IV. *Quomodo verba illa* (Prov. 6, v. 1 et 2) *Fili mi, si sponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneum manum tuam: illaqueatus es verbis oris tui, et captus propriis sermonibus, conveniant cum charitate proximo debita, quae saepe petit, ut ad iuvandum amicum vel alium sponsionem faciamus?* R. Liber Proverborum solum agit de sponsione temeraria, qua e. g. iuvenes improvidi suas

(9) Apolog. 1, part. 15, edit. paris. 1656.

(10) Apud Iosephum lib. 1 contra Apionem.

(11) Lib. 2 contra Apionem.

(12) Ante suum commentarium in lib. Proverb.

(13) In demonstrat. evang. propositione 4, c. 8.

(14) Nova forma theologiae biblicae t. 2, l. 4, q. 22.